DE VENOSITATE MORBOSE AUCTA.

DISSERTATIO INAUGURALIS,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE MONACENSI LUDOVICO - MAXIMILIANEA

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI

TRADIT

LUDOVICUS MANNHEIMER,

SCHOPFLOCHENSIS, BAVARUS,

MEDICINAE, CHIRURGIAE ET ARTIS OBSTETRICIAE DOCTOR.

MONACHII, 1833.

TYPIS J. RÖSL.

PLURIMUM VENERANDO,

CLARISSIMO ET DOCTISSIMO VIRO ET DOMINO

NICOLAO KININGER,

CONSILIARIO AB AULICO MEDICO IN OPPIDULO ICHEN-
HAUSEN

HASCE LITTERARUM PRIMITIAS PII GRATIQUE ANIMI DOCUMENTUM

DEDICAT

AUCTOR.

Proemium.

Etiamsi practica medicina nuperrime permultum sit exculta, attamen pathologia systematis venosi his progressibus minime gavisa est.

Pars physiologica hujusce systematis, prioribus temporibus neglecta, nequaquam clariorem cognitionem adducere potuit. Quam ob rem et medici, qui saeculis praegressis scriptis suis claruere, de morbis systematis venosi vix quid utile nobis reliquerunt. Physiologia autem progrediente, etiam dignitatem sanguinis veram eruere Physiologicis contigit, quod in pathologiam optime influxit, et clariorem lucem de morbis venosis divulgavit.

Van Swieten, Stoll et Grant saeculo praeterlapso, Kreisig vero, Puchelt et Sundelin ultimis deceniis relationem systema venosum inter atque arteriosum, et morbos exinde oriundos distinctius declaraverunt et pathologiam sanioris mentis hujus morborum classis fundavere.

Attamen horum adnotationes et opera nequaquam hanc materiem exhauriebant, et tantummodo uti praecursores pathologiae perfectae morborum systematis

venosi habenda sunt. Pathologia autem nondum absoluta, etiam therapia principiis penitus rationalibus vix niti potest, et ex parte hucusque empirica fuit.

Tantum vero absum, ut hanc pathologiae partem, hucusque mancam, penitus absolvere cogitem, ut potius veniam peto, quod ego, Tyro, materiam tam arduam et ancipitem aggredi sim ausus, legibus academicis satisfaciendi causa. Atque eo majorem indulgentiam spero, cum mihi, ruri degenti et ab omnibus auxiliis literariis recondito, tantum ea praesto fuerint, quae prius de hac materia legeram et nunc durante anno in praxi mea, duce medico peritissimo, celeberrimoque, Consiliario ab aulico Domino Doctore Kininger in oppidulo Ichenhausen expertus sum.

Exoptata mihi est occasio, ut aestimatissimo et ad cineres usque colendo, viro clarissimo, Doctori Kininger gratum animi mei sensum pro doctrina, qua me instituit, ac benevolentia, qua me fovit, publice significem.

Statui morboso, de quo hic locuturi sumus, mutationes praecedunt, quae indoli sanguinis ipsius inhaerent, ob eamque rem necesse erit, adnotationes aliquas anatomico-physiologicas de circulatione sanguinis venosi, ejus functionibus et de ejus relatione ad omnem organismum ac differentia ejus ab systemate arterioso praemittere, quas pathologia hujus vasorum generis, aetiologia et therapia sequitur.

Annotationes quaedam anatomico-physiologicae de systemate venoso.

Systema venosnm eam vasorum partem constituit, quae praecipue sanguificationi praeëst, simulque tanquam cella penaria sanguinis, ut ita dicam, considerari potest.

Ad hoc, sanguinem venosum ferens systema, pertinent: vena cava superior et inferior, vena portarum, atrium dextrum cordis et ventriculus dexter, arteriaeque púlmonales, etiam sanguinem atrum ferentes. Uno igitur aortae trunco tres respondent venarum.

Vena cava superior sanguinem a capite atque extremitatibus superioribus, inferior autem ab extremitatibus inferioribus, pelvi, systemate genitali et uropoetico cordi advehunt.

Vena portarum, systemati vasorum universali inserta, uti systema proprium, et in se absolutum considerari potest, quod sanguinem omnem ventriculi, intestinorum, et mesenterii, lienis et pancreatis demum recipit. Extremi rami venae portarum inosculantur ultimo in alias venas, cavae propagines, ac *venae hepaticae* dictas, quae cavum venam adeunt.

Venae non solum conditione externa, sed etiam interna, ab arteriis multum differunt:

1) Magis tenuis venarum fabrica est. In ea tamen tenuitate passim satis firmae sunt, ipsis arteriis in plerisque exemplis firmiores.
2) Majori expansibilitate ac elasticitate venae gaudent, quam arteriae.
3) Venarum densitas per aetatem diminuitur, arteriarum potius increscit.
4) Ampliores sunt arteriis, et quadrata diametrorum habent dupla, tripla et quadrupla fere; in universum tamen in ratione 9 ad 4. Notandum tamen est, systema venosum amplitudine solum in partibus generationis negotio dicatis, et in quibusdam organis secretioni inservientibus e. g. in hepate arterioso praevalere.
5) Truncos habent numerosiores.
6) In majoribus venis valvularum magna copia reperitur, quarum officium est, omnem pressionem, undecunque venae urgeantur, ad cor determinare, dum sanguini venoso, qui truncum semel subiit, omnem spem refluxus in ramos intercipiunt, et ita circulationem levare. Nullae tamen sunt valvulae in viscerum profundorum venis, nullae adeo in cerebro, pulmone, corde, hepate et omni venae portarum systemate.
7) Sanguis venosus est ater, crassus, non ita fluxilis ac arteriosus et inertior.

Quaecquae venae continent, ea non solum in omnibus corporis locis ex arteriarum finibus recipiunt, sed etiam e ducto thoracico, qui eis partim chylum partim lympham advehit, antequam sanguis venosus

pulmones transit tandemque ipsa venarum initia, praesertim venae portarum ubique et in omnibus corporis locis absorbent.

Hoc directo chyli et lymphae in venas transitu sanguis horum vasorum impurus, et substantiis plurimis, adsimulationi inaptis, commixtus redditur. Quare necesse est, ut coletur et defaecetur. Quod quidem negotium hepate, pulmonibus, et, uti videtur, liene atque membranis mucosis perficitur. In his enim organis tales mutationes subit, quabus fit, ut cum se- et excretionibus magni momenti conjunctae sint, sanguis venosus naturam suam deponens, dignitatem arteriosi sanguinis acquirat.

Bilis enim secretio non solum digestionem adjuvat, sed in omnem processum vitalem influxum maximum exercet, impediens, ne carbon et hydrogen plus justo augeatur (quod magnitudo hepatis animalium non ita perfecte respirantium, embryonis in morbisque variis probat.) Circulatione igitur sanguinis per venam portarum alienae, parte venosa hujus vasis ex tractu intestinorum receptae substantiae, disparantur, assimilantur et innoxiae redduntur.

Lien hoc in negotio hepar adjuvat. Etiam *pulmones* sanguinem venosum in arteriosum mutant, acidum carbonicum exhalantes et oxygen recipientes. Ut Despretz docet, plus principii azotici exspiratur, quam in aëre inter inspirandi actum adfuit.

Membranae mucosae, Bichate confirmante, non minus suum adferunt, ut sanguis venosus partibus vitae alienis liberetur.

Ex omnibus, quae hucusque diximus, patet:

1) Ob illam, supra descriptam amplitudinem, extensitatem et expansibilitatem, qua systema vonosum arteriosum longe superat, et ob tantos supra commemoratos ad venas patefactos aditus et tam paucos venarum in arterias exitus, illud vasorum genus maximam sanguinis partem continere, et parvam modo sanguinis partem (quantum scilicet pulmones transit) ab arteriis percipi, et hac de *causa systema venosum tanquam cellam penariam aestimandam esse*, ex qua arteriae hauriant, quantum scopo reproductionis, organicae crystallisationis (sit venia verbo!) variarum se- et excretionum, quas ipsae perficiunt, et ad nervos excitandos et animandos sibi opus est.

2) *Systema venosum, cum organis purificis ipsi adnexis, se- et excernendo vitae aliena, sanguificationi praecipue praestare.*

Pathogenia venositatis morbosae.

Quae cum ita sint, facile intelligi potest: primum, morbos sanguineos a systemate venoso originem ducere et abhinc demum sese extendere; et dein abundantiam sanguinis, etiamsi ab initio per totum corpus dispertitam, serius tamen praecipue, in systemate venoso sese ostenturam.

Quod si igitur aut a venis seu relative, (scilicet pro consumtione) seu absolute plus justo percipitur, aut ab arteriis relative (utique ratione ingestae materiae plasticae) vel absolute justo minus consumitur, necessario venae nimis implentur, sanguis immeabilis, et viscidus redditur, adeoque augentur obstacula circa angustissimos arteriarum fines, et ita nascitur status morbosus, quem *Plethoram* venosam dicunt. Qui

quidem saepius non tanti momenti est, et sponte recedit, saepius autem ad congestiones activas praedisponit et turbationes in systemate sensibili atque irritabili provocat e. g. spasmos etc. non raro etiam est causa infarctuum et dilatationum vasorum sanguiferum et postremo in alteram alienationem sanguinis transit, de qua sola hic statim loquamur.

Uti scilicet supra diximus sanguis se- et excretionibus solis, quae hepate, lieni, pulmonibus et membranis mucosis perficiuntur, purus et assimulationi aptus redditur et, naturam venosam deponens, dignitate arteriosi sanguinis adepta, perfectam indolem nostrarum partium acquirit, quabus vero impeditis seu diminutis, non est mirum, characterem venosum in tota sanguinis massa praevalere, arteriositatemque opprimi, quem aberrationem *venositatem morbose auctam* adpellamus.

Definitio.

Hypervenositas seu venositas morbose aucta est igitur ille morbosus sanguinis venosi status, in quo attributa peculiaria ea, quae, ipsi solo convenientia, cum ab arterioso discernere solent, seu absoluta, seu relativa se- atque excretionum (hepatis, pulmonum etc.) diminutione vel retentione in tali gradu adsunt, et ita praevalent, ut toti sanguinis massae character venosus imprimatur.

Sanguis ita comparatus cum est incitamentum anomale, tum etiam processum plasticum animalo modo administrat, ob eamque rem causa vehementissimarum perturbationum fieri potest systematis sensibilis atque

irritabilis et pertinacissimorum organisationis ac reproductionis morborum, vel singularia phaenomena abnormia vel veros et perfectos morbos producens.

Morbi, ex venositate morbose aucta exeuntes — dividi possunt in eos, qui naturae salutari nisu aequilibrum turbatum exaequandi alienamque et noxiam materiem expellendi causa excitantur, atque in eos, quibus hic nisus salutaris deest.

Illa morbosa phaenomena commemorata saepissime quidem in systemate vasculoso, non raro tamen in nervoso quoque, musculoso et universali reproductionis systemate adparent.

In systemate vasculoso symptomata morbosa ista forma congestionum, obstipationum, infarctuum, haemorrhagiarum, dilatationum cordis vasorumque conspiciuntur.

In systemate nervoso autem venositas morbose aucta dolores, paraesthesias, turbationes et aberrationes sensus communis, instinctus et voluntatis seu etiam symptomata paralytica provocat; eodem modo musculi adficiuntur spasmis ac paralysi, non raro ab illa oriundis.

Etiam reproductionis vitia, quin etiam cachexiae et dyscrasiae: hydrops, chlorosis, icterus et carcinomata non raro a venositate admodum aucta originem ducunt.

Ad morbos, qui nisu salutari naturae provocantur, ut corpus, uti jam diximus, substantiis crudis vitaeque alienis ac noxiis liberetur, pertinent: febres gastricae, haemorrhoides, arthritis, melaena et quodam modo lithiasis. Morbi hoc nisu carentes sunt: mania, melancholia, hysteria, hypochondria et varii systematis nervosi morbi, quibus materies morbifica sub-

est; dein quoque haemorrhagiae, blenorrhoeae morbi varii digestionis, assimulationis etc. etc.

A e t i o l o g i a.

Jam fabrica venarum, supra descripta (laxitas, amplitudo, numerus, earum valvularum defectus etc.) dein indolis sanguinis venosi ipsa (ut crassitudo, spissitudo, inertia atque pinguedo, vis irritans, excitans et vitalis minor, qua sanguis arteriosus promovetur) efficit, ut hoc systema ad plethoram, stagnationes, infarctus etc. pronior sit arterioso.

Praeterea hypervenositati constitutio congenita seu acquisita saepissime subest, cujus Puchelt duas praecipuas varietates distinguit:

1) Constitutionem phlegmatico-venosam;
2) Constitutionem atrabilari-seu melancholico-venosam.

Commixtione symptomatum constitutionis phlegmatico-venosae cum illis melancholico-venosae tertia existit varietas *constitutio atrabilari-melancholica*

Symptomata, quibus haec constitutio diagnoscitur, inferius sub diagnosi. Nisi noxis excitantibus, hac constitutione aetate matura demum morbi perfecti progignuntur.

Noxae, quae, etiam dispositione et constitutione non praeexsistente, statum morbosum, de quo agimus, producere possunt, aut efficiunt, ut pro consumtione arteriarum, non eodem modo aucta, plus necessario venis recipiatur et ingeratur, aut ut consumtio pro naturali ingesti humoris copia diminuta reddatur, aut demum ut systemate venoso secernenda, ne secernantur.

Adhuc pertinent: Victus pinguis et largus, imprimis vero alimenta, multum principii carbonici continentía. Omnia leguminosa crassiora, ut jam Syden-

ham docuit, farinosa cruda, et cerevisiae generosiores chylum lentiorem generant, qui lentor, si validis exercitiis agitetur corpus, superari potest, sed in quiescentibus hominibus plurima mala producit, et quibus otiosa defluit vita, illi a durioribus adsumtis pessime se habent. Aër nimis calidus, qui expansus ac rarus, et in eodem volumine oxygenii minus continens, processui excretorio, seu oxydationi secreti principii carbonici et hydrogenii non solum non ita est idoneus ac aër frigidior, sed etiam expandente sua vi respirationem et circulationem gravitat et prohibet.

Aër humidus, respirationem et transpirationem impediens, consumtionem arteriosi systematis diminuit. Huc pertinet etiam temperies coeli mutabilis, dies calidi cum noctibus frigidis, qua excretio peripherica ideoque transitus venosi sanguinis in systema arteriosum imminuitur; porro suppressio se- et excretionum seu naturalium seu habitualium, (consuetarum) quabus utique natura crisin salutarem perficere conàtur v. c. retentio mensium, haemorrhoidum antea fluentium, suppressio blennorrhoeae habitualis etc.

Vitia organica, quae circulationem et respirationem impediunt, non minus ad venositatem augendam suum conferunt.

D i a g n o s i s.

Quaeque hypervenosae et congenitae et acquisitae seu constitutionis seu praedispositionis varietas sua habet signa, quibus cognosci potest, etiam morbis, qui ea existere solent, nondum perfecte evolutis.

Constitutio phlegmatico - venosa sequentibus sese, teste S u n d e l i n o, prodit symptomatis: facies est pallida, leucophlegmatica, habitus pinguescendo

et pituitae producendae opportunus. Irritabilitas et sensibilitas est minuta, omnesque actiones vitales tarde seroque, neque tamen sine vi et energia perficuntur.

Constitutio atrabilari-venosa significatur: cute sordida et obscura, habitu gracili, sensi bilitate et irritabilitate eximia, pulsu plerumque pleno, magno et quidquam duro, adpetitu et digestione bona, alvo rara, excrementis paucis, fuscis et solidis transspiratione retenta, re- et absorbtione nimis aucta.

In constitutione venosa atrabilare-melancholica symptomata utriusque varietatis superioris commixta reperiuntur, ita tamen, ut una altera mitigetur et modificetur.

Praetera etiam causae remotae venositatis morbose auctae, vita ante acta, et morbi, ex ea orti, diagnosin faciliorem reddunt.

C u r a t i o.

Cum, ut jam saepe diximus, causa progignens hujus morbi vel in eo consistat, quod systema venosum materie plastica super vires oneratum sit; vel in eo, quod a systemate arterioso scopo reproductionis, variarumque, sibi perficiendarum se- et excretionum, atque ad nervos excitandos minus consumatur, quam pro copia sanguinis venosi deberet; vel demum in eo; quod quae systemati venoso se- et excernenda sint, neque rite secernantur. neque excernantur — indicatum erit, modo materiam plasticam diminuere, modo processu vitali stimulando et instigando consumtionem arteriosam adjuvare, et ita aequilibrum turbatum restituere, modo denique se- et excretiones retentas directe promovere, et ad normam reducere.

Indicationi primae respondent venaesectiones,

hirudines, laxantia et purgantia et sic dicta, remedia digestiva.

Indicationi secundae respondent remedia sic dicta acria: Strammonium, Belladona, Cicuta, Digitalis, Chelidonium, Senega, Arnica, Ferulacea etc.

Indicationi tertiae Hydrargyri praeparata, Antimonialia, Jodina et Alcalia satisfaciunt. Caeterum, uti morbus ex variis causis oriri potest, et ut processus reproductivus et sanguificationis rarissime modo ex una sola parte turbatur, uti scilicet ad systematis venosi morbos tres supra enumeratae causae morbificae saepissime una conferunt, ita et curatio saepissime debet esse complicita atque ita composita, ut remedia indicata in tam strictas classes minime discerni possint, sed ut remedia unius alteriusque classis conjungantur, et componantur necesse sit.

Diaeta observanda, quae in his curandis morbis maximi momenti est, jam ex Aetiologia satis superque elucet. Non possum tamen, has pagellas non proverbio magni Sydenhami concludere, quod ille in dirigenda diaeta morborum chronicorum pro generali axiomate haberi vult: Debet esse cibus, qualis est labor!